



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 72. Amputavit auriculam eius. v. 51.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Quia ergo Petrus fecit sicut strenuus heros confisus non in robore & gladio suo, sed potius in domino suo, quomodo David adhuc adolescens Goliatho obiit, non tam in funda & baculo suo confisus, quam in nomine Domini, ita Domine concedere mihi gratiam, ut in te confidens non confundar in æternum, sed omnia mea peragam, cum tanto desiderio tui honoris promovendi & defendendi sicut Petrus, sed ita ut in omni zelo ab omni periculo merear liberari & a te regi, ne vel excedam per imprudentiam vel deficiam per ignaviam.

§. 72. *Amputavit auriculam eius. v. 51.*

Sed cur aurem, & non aliud membrum? opinor Petrum qui tam parum a capite abluit intendisse ipsum caput, sed ex mysterio attigisse aurem & quidem abscidisse, Christo Domino cauente malum, ne si hostium aliquis occisus fuisset, Christo occidendo, apparens, saltem prætextus posset haberi, ad eum vicissim occidendum, & quantum hoc pacto bonum nobis ademptum fuisset! Docemur ergo contra vim iniquam defensionem institui posse, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, v.g. si quis manus tibi ingerat, nec valere cum lenire verbis, potes, si vis, vim vi repellere & ictu aliquo hostem excipere ne nocere tibi pergat, Noli tamen vitam eius petere & gravia damna inferre: hæc ipsa enim tibi possent afferre exitium.

**D**omine qui semper es prærens omnibus actionibus, & intueris abyssos cordis & actionum mearum, da gratiam obsecro ne, unquam intendam proximo malum, sed semper ei bonum, vel si malum necesse sit ei inferre semper id fiat ad emendationem aut melius bonum, non autem ad merum cruciatum, ut tuo semper adiutus auxilio maius damnum evitem.

§. 73. *Tunc ait illi Iesus: converte gladium tuum in locum suum v. 52.*

Dum videt Christus Petrum animosiores, & ex ira percutere, & iam læsisse servum summi Pontificis amputando ei auriculam; admonet ipsum status sui, ut converterat gladium in vaginam, ne ulterius extracto gladio noceret magis, vel lædendo vel occidendo in proprium damnum & Ecclesiæ, neque solum converteret gladium, sed & animam iracundam converteret, considerando in quantum se & magistrum & Ecclesiam Dei periculum coniceret, quod posset sicut ipse alium lædit, lædi & gravius; itaque desisteret percutere uti bonus Pastor futurus Ecclesiæ & Sacerdos, neque irregularitatem ullam incurrendo, se minus idoneum Ecclesiæ pararet.

**P**lentissime Iesu qui semper curam habes de omnibus, da gratiam obsecro ut id meum sit semper consilium & propositum magis velle pati pro gloria tua cum expedit, quam defendere me, aut offendere proximum, ut sic semper bonus odor in mundo & multos patientia in ea lucrificiam.

§. 47.